

rapere, & informia deformare cadauera,
non carminibus, tartarum & elementa
concutere, licet ferales succos, ab amatis
labiis auertere, licet spiritibus & sepul-
chris parcere: Ad id enim quod cupimus
compendiosior & honestior via fert. Si
vis amari, ama. In cæteris quidem rebus
diuersi generis compensatio admittitur,
Amor amore compensandus est.

CRETENSES.

CRetenses in turba exemplorum sunt,
cum enim cæteri mortalium inimi-
cis suis aspera quælibet ac tristia, mor-
tem, exilium, pauperiem, ignominiam
imprecentur, hi solum delectationem o-
rant, sed eam, quæ ex mala consuetudine
percipitur: Et hi quidem quod de Tito
Coruncano & M. Curio supra diximus,
verbo mitissime, re atrociter: Profectò
enim pertinax malorum actuum iucun-
ditas, præceps ad interitum via est.

PANETIUS.

PAnetij Philosophi illustris sententia
hæc est: Decere animum sapientis vi-
ri, inter tumultus & pericula rerum hu-
manarum positi, circumspicere omnia, &
vndique ingruentia mala præcauere, ita-
que semper promptum expeditumque
ad